Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2487

Quelle:
Copyright:

manu, nitide tamen perſcriptus titulum praefert: *Incipit Libellus De Diſciplinis Nouiciorum.* Initium eſt: *Iam dies erat ſecunda ex quo ueni ad monaſterium cuius in primis memini* &c. Monaſterium iſtud *Hirſaugienſe* eſt, ad quod ab Abbate ſuo *Cluniacenſi* ad Regem *Alemanniae* miſſus Autor noſter *Udalricus* illuſtri genere *Ratisbonae* ortus divertit, rogatusque a Loci Praeſule *Wilhelmo* conſcripſit Libris III. *Conſuetudines Cluniacenſes*, quarum hoc *Codice* ſolus *Secundus* et initium *Tertii* continetur. Integras edidit e Codicibus noſtro recentioribus *Lucas Dacherius Spicil.* T. IV. p. 21. 4. et iterum T. I. p. 641. f. cujus Praeloquium, ſi lubet, adi. In Noſtro varia partim vetuſtate, partim data etiam opera deleta ſunt, quae per errorem ſcripta. *Capitum* alia diviſio; dum enim *Dacherius* XXXVII. nos XLIII. numeramus. C. I. melius legimus: *ac ſi apud nos feciſſent*, quam Impreſſa: *fuiſſent*; item: *tyrocinio chriſti aſſignatur*, quam: *inſignitur*. Caput IV. *De Signis loquendi* (nobis V.) prolixius eſt in *Codice* 10. ipſis paginis; adjiciuntur enim Signis *Victus* Signa plurimarum aliarum Rerum et Actionum ſilentii tempore facienda. Augmentum iſtud interjectum eſt inter verba *fol.* 7. p. 2. *acrimonia ſentitur*, et inter verba *fol.* 12. p. 2. *Plura ſunt, quę adhuc dicere poſſem.* Hoc etiam Capite *fol.* 7. pro *Rufeolis* ſive Placentis habetur συνωνυμον teutonicum *Craphones* (Krapfen) melius ita exaratum, quam in margine *Dacherii Crafones*, qui in textu erronee *Cratones* habet. Ad calcem habet Noſter: *Explicit Libellus Secundus. Incipit Tercius.* At vero Tertius hic poſt Praefationem jam in his C. I. verbis abrumpitur: *Beatus autem pater Odilo rogatus in extremis ſuis. quid ſibi de ſucceſſore uideretur. non adquieuit ad hoc quemquam nominare.* Eſt hic celeber ille *Cluniacenſium* Abbas, de quo *Mabillonius* in *Actis SS. O. B. Sec.* VI. P. 1. p. 678. et *Hiſt. Franciae lit.* T. VII. p. 414. qui cum anno 1049. vitam clauſerit, de tempore conjici poteſt, quo *Udalricus* noſter *Conſuetudines* ſuas chartis mandaverit. Meminit ejus *Anonymus Mellic.* c. 110. in Fabricii *Bibl. Eccl.* p. 157. eique *Fabricius* ibi annum 1070. adponit. cum vero *Wilhelmo* Abbati *Hirſaug.* cujus rogatu *Udalricus* laborem adgreſſus eſt, eodem loco annum 1090. tribuat, annus alteruter vacillare videtur. — Codicis noſtri quaedam Spatia vacua *Proſis* de S. *Nicolao* et nato Servatore repleta ſunt.

DCLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 8°. Folior. 86. 8. charactere craſſiuſculo currente ſcriptus et rubricis diſtinctus incipit: *Nota quod in iſto libello continentur notabiliora capitula regule ſancti Benedicti magis valencia pro inſtructione nouiciorum ac fratrum ſubditorum* &c. Eorum itaque Elenchus ſequitur, quem excipit *Prohemium regule. Auſcul-*

ta